



De substantivis verbalibus in io et us desinentibus.

Legenti mihi scriptores latinos, perpendentique ea, quae legeram, semel et saepius accidit, ut de explicatione grammatica aliquid scrupuli injiceretur. Quem ut eximerem, excutiebam, quae in grammaticorum libris de ea ipsa re, quae mihi dubitationem moverat, inessent. Veruntamen non raro ab his ducibus destitutus sum, aut pugnantia inter se dicentibus, aut non apte, quae quaerebam, exponentibus. Idem mihi nuper evenit, quum, quae in grammaticis latinis de substantivis verbalibus in io et us desinentibus sunt, pervolverem. Id quidem recte faciunt grammatici recentiores, quod in his substantivis tria existimant esse respicienda, formationem, potestatem atque structuram. Sed, quae ea de re disputant, neque probanda ab omni parte videntur, et addenda iis nonnulla.

Videamus primum, quae de horum substantivorum formatione habent. Praecipiunt illi¹⁾ quidem, ista substantiva a supino, terminatione um in io et us mutata deduci. Qua in re eos non recte viam atque rationem a Prisciano, cuius auctoritas in rebus ad grammaticam latinam spectantibus non est contemnenda, initam judicamus

¹⁾ Zumpt gramm. lat. §. 237.

deseruisse. Apud Priscianum enim in quarto institutionum grammaticarum libro ed Krehl vol. I, p. 144. de formatione substantivorum verbalium in *io* exeuntium sunt haec:

„In *io* igitur terminantia plerumque a participiis fiunt praeteriti temporis, quorum genitivus assumpto **o** et correpta **i** facit hujuscemodi nomina, oratus orati oratio, accusatus accusati accusatio cet.

De formatione substantivorum verbalium in *us* cadentium apud eundem in lib. laud. p. 164 haec leguntur:

„In *sus* duplicem habent formam: vel enim participialia sunt, id est, participiis praeteriti temporis similia, et res incorporales significant, et sunt quartae declinationis, usus, cursus, lusus cet.

et paulo infra:

In *tus*, si sint participialia, aut denominativa, vel incorporalia et fixa sunt, ut motus, tumultus, sonitus, habitus, cultus cet.

Priscianus igitur substantiva verba in *io* desinentia diserte ait a participio praeteriti temporis derivari, substantiva in *us* exeuntia, quum participialia dicat, indidem orta esse videtur accipere. Ac si recte videris, non pauca erunt, quae clarissimi illius grammatici antiqui verbis fidem faciant.

Nam primum quidem ipsum supinum, a quo substantiva verba, de quibus agimus, nasci dicuntur, nihil aliud est, nisi accusativus substantivi verbalis in *us* desinentis, quod Prisciani auctoritate nisus a participio praeteriti temporis esse factum, ante hos undecim annos in dissertatione annalibus gymnasii Conicensis praemissa probare conatus sum.

Deinde omnino longe plurium verborum ista substantiva, quam supinum apud scriptores latinos invenias.

Tum magis in rei natura positum est, substantiva verbalia potius ab ea parte verbi, quae rem perfectam significat, id est a participio praeteriti temporis, quam a supino, cui inest rei infectae notio, deduci, praesertim, quum nonnulla substantiva verbalia, atque neutra participiorum praeteriti temporis ad idem verbum referenda promiscue ponantur. Exempla, si quis quaerat, erunt haec:

- | | | | |
|-----|-----------|---|-------------------------|
| 1. | ausus | — | ausum. |
| 2. | coepitus | — | coeptum. |
| 3. | conatus | — | conatum (plural. tant.) |
| 4. | consultus | — | consultum (senatus) |
| 5. | factus | — | factum. |
| 6. | fartus | — | fartum. |
| 7. | inventio | — | inventus — inventum. |
| 8. | jussus | — | jussio — jussum. |
| 9. | scitus | — | scitum — (plebis) |
| 10. | tributus | — | tributum. |
| 11. | pactio | — | pactus — pactum. |
| 12. | promissio | — | promissus — promissum. |

Accedit, quod verborum deponentium, in thematicis, quae vocantur, temporum formandorum causa, tantum praesens et perfectum, nunquam supinum commemoratur, ex quo sequitur, ut, si, quod gramatici de horum substantivorum formatione statuunt, esset verum, non haberemus, unde ea fingeremus.

Itaque, quod Zumpt. vir dets. in animadversione §. 153. sueae grammaticae adspersa de supino monuit, id etiam multo magis de substantivis verbalibus monendum est.

Raro ea pars verbi, quae um, supini exitu, abjecto relinquitur, in substantivis verbalibus immutatur. Ita a quaesitum fit: *quaestio*, *quaestus*, non *quaesitio*, *quaesitus*. Interneco euphoniae causa, quae est Prisciani²⁾ sententia, facit *internecio*, non *internectio*. *Internectio* tantum apud Festum legitur, variante tamen lectione.

A verbis, quibus multiplex supini forma sit, dupli ratione substantiva verba finge Zumpt. loc. laud. memorat, quod ut planum faciat, substantiva

fricationis — frictionis (adde fricatus et frictus)

lavationis — lotionis,

potationis — potionis (adde potatus et potus)

affert, atque ex horum analogia etiam substantivum cubationis et cubitionis formari docet, quamquam cubare tantum supinum cubitum exhibeat. Hoc loco, quoniam in eam mentionem incidimus, animadvertendum videtur, composita verbi cubandi in substantivis in iō desinentibus praferre formam atio, substantiva in usus exentia tantum in itus cadere. Itaque legitur:

accubitio — accubitus,

excubatio — excubitus,

incubatio — incubitus (nam incubatus ap. Plin. incertum est),

secubatio — secubitus.

²⁾ Institut. gramm. edid. Krehl. Vol. I. pag. 145.

Compositorum vero, quae inter **u** et **b** verbi cubandi **m** inserunt, et potestatem transitivam habent, substantiva verbalia nisi occubitus et recubitus non inveniuntur. Simili ratione in compositis verbi crepandi, quod crepitum non crepatum facit, substantiva verbalia in **io** terminantia exhibent **crepatio**, substantiva in **us** cadentia **crepitus**, ut

| | | | |
|-------------|---|---|---------------------------------------|
| concrepacio | — | } | substantiva in us terminantia desunt. |
| discrepacio | — | | |
| inerepacio | — | | increpitus. |

Verbum fricandi, licet fricatum et frictum faciat, et simplicis substantiva verbalia **frictio** et **fricatio**, **frictus** et **fricatus** sint, compositorum tamen infricandi et perfricandi tantum **infrictio** et **perfictio** exstant.

Ex his ac similibus exemplis conjecturam facere licet, supino nonnullorum verborum olim duplarem formam fuisse, quarum altera postea obsolevit.

Exposuimus supra, grammaticos, qui nostra memoria vigeunt, ita praecipere, ut substantiva, de quibus disputamus, a supino derivari dicant. Itaque consenteum est, ea verba, a quibus supinum absit, etiam substantivis verbalibus carere. Id si recte se habet, non deerunt, opinor, quorum animi offendantur, si substantiva luctus et saltus legant, quum verbis, a quibus deducta sunt ea ipsa substantiva, supinum esse negent grammatici, vel si forte in substantiva, esuritionis et parturitionis incident, a verbis desiderativis facta, quibus supinum deesse constans est grammaticorum sententia. Cave tamen credas, omnium verborum, quorum supinum vel in lexicis vel in grammaticis afferatur, substantiva verbalia extare. Equidem prope sexcentis verbis congestis, et lexis, ut cognoscerem, a quibus

horum verborum substantiva derivata sint, consultis, in iō desinentium ducenta nonaginta, in us terminantium tantum centum nonaginta septem inveni.

Inde apparet, antetulisse omnino linguam latinam substantiva verbalia in iō cadentia substantivis in us exeuntibus, id quod maxime in verbis deponentibus cernitur, quorum amplius ducenta triginta a me comparata exhibeant substantiva verbalia in iō terminantia centum quinquaginta quatuor, in us exeuntia tantum sexaginta unum. Verum magna parte substantivorum verbalium, quae lexica habent, primum scriptores ejus aetatis, qua sermo latinus jam inquinari est coepitus, usi sunt. Quemadmodum enim arbores vel intermorientes fruticantur, ita etiam sermo latinus intermoriens quasi quosdam surculos emittebat. Quod, ne quis arguat, me temere jactasse, ex eo numero aliquot substantiva, quae in promptu sunt, proferam. Sunt autem:

„abolitio, adjutus, adversatio, aversatio, coctio, confabulatio, contusio, dehortatio, derisio, derisus, descensio, desectio, emicatio, emunctio, esus, fictio, fatus, fractio, fruticatio, grassatio, imaginatio, invasio, invasus, jaculatio, jaculatus, lacescitio, latrocinatio, lucratio, minutio, modulatio, modulatus, nuptus, positio, praebitio, punctio, punctus, punitio, restrictio, ruptio, sparsio, sternutatio, structio, territio, vinctio.“

Memoratur a grammaticis, scriptores labentis latinitatis imprimis Tacitum praeferre substantiva verbalia in us cadentia, memorantque recte.

Ita apud Ciceronem sunt:

adhortatio — adhortatus apud Appul.

contemptio — contemptus — Tacit. et Quintil.

| | | | | |
|-------------|---|-------------|------|-----------------|
| extinctio | — | extinctus | apud | Plin. |
| fluxio | — | fluxus | — | Plin. et Tacit. |
| inventio | — | inventus | — | Plin. |
| luctatio | — | luctatus | — | Plin. |
| recordatio | — | recordatus | — | Tertull. |
| stipulatio | — | stipulatus | — | I C T. |
| unctio | — | unctus | — | Plin. |
| vociferatio | — | vociferatus | — | Plin. |

Contra ea non desunt exempla, quae probent, scriptores aureae aetatis usurpasse substantiva in us, scriptores, qui labente fuerunt latinitate, substantiva in iō cadentia. Sufficiat haec attulisse.

Apud Ciceronem est:

| | | | | |
|------------|---|------------|------|----------------|
| arbitratus | — | arbitratio | apud | Gell. |
| conatus | — | conatio | — | Senec. |
| ductus | — | ductio | — | Cels. et Vitr. |
| famulatus | — | famulatio | — | Appul. |
| jussus | — | jussio | — | Lact. |
| mercatus | — | mercatio | — | Gell. |
| nexus | — | nexio | — | Arnob. |
| piscatus | — | piscatio | — | Ulp. |
| pressus | — | pressio | — | Vitr. |
| pulsus | — | pulsio | — | Arnob. |

Ac de formatione substantivorum verbalium satis multa verba fecisse nobis videatur. Jam ea, quae grammatici de eorum potestate prcipiant, percensemus. Zumpt. loco supra laudato et Krueger. grammat. lat. §. 260. statuant, his substantivis notionem verborum, a quibus deducta sint, subesse, ratione nec temporis nec personae habita, ita tamen, ut substantiva in iō desinentia rem infectam, in us terminantia rem perfectam significant. Idem praeterea addunt, hoc discrimen saepenumero negligi, et utrumque horum substantivorum genus promiscue ponit.

Hic primum observandum est, multorum substantivorum verbalium, quae rarius³⁾ ponantur quam verba, significationem esse angustiorem significatione verborum, a quibus nata sunt, in primis, quae verbis sint migrationes in alienum, in multis horum substantivorum desiderari. Exempla huc referenda, licet lexica latina pervolutanti non difficile sit invenire, tamen non ingratum fore haec legentibus ratus, si isto negotio liberentur, suggeram haec:

| | | | |
|----------|---|---|-----------------------|
| abscindo | — | — | abscissio |
| accendo | — | — | accensus |
| accumulo | — | — | accumulatio |
| addubito | — | — | addubitatio |
| adeo | — | — | aditio |
| affligo | — | — | afflictio — afflictus |

3) Causas, cur in lingua Latina substantiva verbalia minus saepe quam in linguis novitiis inventur, qui cognoscere volet, adeat Handii librum bonae frugis plenum, qui inscriptus est „Lehrbuch des lateinischen Stils“ ubi capite quinto de linguae latinae indole et natura disputatum est egregie.

| | | |
|-------------|---|--------------|
| aucupor | — | aucupatio |
| cedo | — | cessio |
| colo | — | cultio |
| induo | — | indutus |
| proficiscor | — | profectio |
| vaticinor | — | vaticinatio |
| velificor | — | velificatio. |

Significatione horum et verborum et substantivorum accuratius comparata, vera esse, quae contenderim, non facile quisquam negabit.

Deinde tenendum est, substantiva in **io** et **us** cadentia interdum diversa significare, et altera alteris latius patere.

Itaque, afflictio est aegritudo cum vexatione corporis; Afflictus allisio, collisio, vel prostratio.

Captio est prehensio, plerumque fallax argumentatio, vel fraus; captus vel prehensio, vel natura, sive ingenium.

Cultio est cultura, sive veneratio; cultus vero cultura, praecipue externa vivendi ratio, vestitus atque ornatus corporis.

Cursio est actus currendi; cursus dicitur de omnibus, quae quomodo celeriter moventur, et proprie et translate.

Gestio est actus gerendi, curatio, vel idem, quod se gerere; gestus, secundum Festum, motus, habitus et moderatio corporis, praecipue manuum in agendo, vel pedum in saltando aut incedendo.

Habito est actus habendi, (legitur semel apud Gellium) habitus vero permanens corporis affectio, forma, figura et in hominibus et bestiis; item corporis dispositio vel inflexio. A philosophis fere de animo dicitur, ab oratoribus prout naturali facultate; ponitur etiam de cultu corporis exteriore, ac praesertim vestimento; significat etiam ornamentum.

Missio est actus mittendi, jactus, dimissio; missus vel idem, quod missio, vel in ludis quum aliis tum circensibus sunt singulae procursiones vel equorum, vel ferarum, vel gladiatorum; in coenis missus sunt ferculorum illationes in mensam.

Scriptio est actus scribendi, scriptura, tnm res ipsa, quae scribitur; interdum de exercitatione oratoria dicitur; scriptus contra ea idem, quod scribatus, i. e. munus scribæ: scriptum facere est scribam esse, sive scribendo victum quaerere.

Denique ne hoc quidem praetermittendum est, sub paucis substantivis verbalibus subjici etiam potestatem passivam. Exempli gratia:

Amictus est et ipsum amicire, et id, quo quis amicitur, id est vestis, veluti apud Cic. Att. 6, 1.

Quam statuam esse ejusdem, status, amictus, anulus, imago ipsa declarat.

Apud Tibull. I, 9, 13.

Duplicem ex humeris rejicit amictum.

Contemptus est et contemnere et contemni, ut apud Lucr. III, 65.

Turpis enim ferme contemptus et acris egestas
 Semota ab dulci vita stabilique videntur;
 apud Liv. VI, 2.
 Non odio solum apud hostes, sed contemptu etiam inter socios no-
 men Romanum laborare.
 apud Caes. bell. Gall. II, 30.

Plerumque hominibns Gallis p^ra^e magnitudine corporum suorum
 brevitas nostra contemptui est.

Fartus, id, quo aliquid impletur; exemplum est apud Arnobium VII, 231:

Quid cum pultibus deo est, quid cum libis, quid diversis cum
 fartibus.

Restat, ut addamus, quae de istorum substantivorum structura commemoranda
 videantur. Structura quidem horum a reliquorum substantivorum structura ea re
 discrepat, quod nonnulla substantiva verbalia is casus, quem verbum, a quo deducta
 sunt, assciscit, sequitur. Exempla suppeditant: Ruddimann. instit. grammat. t. II,
 p. 239 et 40. Zumpt. gramm. lat. §. 681. Krueger. gramm. lat. §. 362
 et 502. Reisig. (Vorlesungen über lat. Sprachwissenschaft.) §. 340. ibique Haase,
 qui eam rem substiliter tractat.

Dativo juneta ibi exhibentur haec:

obtemporatio legibus. Cic — traditio alteri. Cic. — Sibi ipsi res-
 ponsio. Cic — exprobratio cuiquam. Liv — auscultatio alicui. Plaut.

Cum accusativo copulata:

curatio hanc rem. Plaut. — isthunc tractio. Plaut. — receptio
 virum. Plaut.

Substantiva verbalia cum accusativo ita structa non facile invenias apud scriptores orationis solutae, qui tantum substantiva verb. motus et substantivum mansionis cum nominibus urbium atque nomine domus eadem, qua verba ratione struunt; veluti:

domum redditio. Caes — domum itio. Cie — concursus domum.

Caes. — gradus domum. Senec — redditus Romam. Cic. —

redditus Narbone. Cic — Alexandria discessus. Cic. — introitus

Smyrnam. Cic. — discessus Arpinum. Cic — legatio Romam.

Liv. — trajectus Apolloniam. Val. Max. — mansio Formiis. Cic. —

Haec fere de substantivis verbalibns in *io* et *us* desinentibus dicere habuimus. Quibus liceat adjungamus, nos, tantum abesse, ut hac scriptione illi quaestioni existimemus satisfecisse, ut docuisse, qua ratione ea ipsa quaestio solvenda nobis videatur, satis habeamus.

opusculorum iugiter Cie — iugatio silvi Cie — Zibi iugis iugis
bonior Cie — excepitatio iugis iugis. Iuia — suscepitatio silvi. Puer —

Cum sonoratio operariis:

M. sonorio puer leui. Huic — iugatio triuio. Puer — iugatio

alium. Puer